

## CAPUT XIII.

(a) **I**n illo die extens Jesus de domo, sedebat secus mare: & congregatae sunt ad eum turbae multae, ita ut in naviculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore: & locutus est eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui seminavit seminare semen suum. Er dum seminavit, quaedam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres caeli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, & continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terrae; sole autem orto aëstiverunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas, & creverunt spinas, & suffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Qui habet aures audiendi, audiat.

(b) Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysterium regni caelorum, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: & adimpletur in eis propheta Elia dicentis: Auditus audientis, & non intelligit, & videntes videbitis, & non videbitis. Increpatus est enim cor populi hujus, & auribus graviter audiverunt, & oculos suos claverunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanentur. Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestrae, quia audiunt, Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetae, & iusti cupierunt videre quae videtis, & non viderunt; & audire quae auditis, & non audierunt.

(c) Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum Dei audit, & sollicitudo saeculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero tricesimum.

(d) Aliam parabolam proposuit illis dicens: Simile factum est regnum caelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Dum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superfeminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem servi patrifamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea? Et ait: Non: ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem; & in tempore messis dicam mesoribus: Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.

(e) Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum caelorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus; & fit arbor, ita ut volucres caeli veniant, & habitent in ramis ejus.

(f) Aliam parabolam locutus est eis dicens: Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus donec fermentatum est totum.

(g) Haec omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eruclabo abscondita a constitutione mundi.

(h) Tunc dimisis turbas venit in domum; & accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Edidisse nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen est Filius hominis; ager autem est mundus; bonum vero semen, hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam; inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus; messis vero consummatio saeculi est; mesores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburantur; sic erit in consummatione saeculi. Mittere Fi-

lius

lius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

(i) Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & pra gaudio illius vadit, & vendit universa quae habet, & emit agrum illum.

(k) Iterum simile est regnum caelorum homini negotiatori quarenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quae habuit, & emit eam.

(l) Iterum simile est regnum caelorum saganæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti; quam cum implera esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione saeculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

(m) Intellexistis haec omnia? Dicunt ei, Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

(n) Et factum est, eum consummasset Jesus parabolam istam, transit inde; & veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent: Unde huic sapientia haec, & virtus? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? Et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est Propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incrudelitatem illorum.

(a) **C**hrystostomus (hom. 45.) Postquam increpaverat eum qui matris, & fratrum praesentiam nuntiavit, dehinc fecit quod illi cupiebant: exiit scilicet domum, primo sanans aegritudinem vanæ gloriae fratrum; secundo decentem honorem exhibens matri: unde dicitur: *In illo die extens Jesus de domo, sedebat secus mare.* Augustinus de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 41.) Cum dicit, *In illo die*, satis indicat aut hoc consequenter gestum post praemissa, aut non multa interponi potuisse, nisi forte dies more Scripturarum tempus significet. *Rabbanus.* Non solum autem verba, & facta Domini, verum etiam itinera, ac loca, in quibus virtutes (1) operatur, & praedicat, caelestibus sunt plena sacramentis. Post sermonem quippe in domo habitum, ubi nefanda blasphemiam demonium habere dictus est, egrediens docebat ad mare, ut ostenderet se, relicta ob culpam perfidiae Judaeae, ad Gentes salvandas esse transfurum. Gentilium enim corda diu superba, & incredula, merito tumidis, amarisque fluctibus maris affsimulantur; domum vero Domini per fidem saepe Judaeam quis nesciat? *Hieronymus* (in princ. Com. in 13. cap. Matth.) Considerandum etiam, quod populus domum Jesu non poterat intrare, nec esse ibi ubi Apostoli audiebant mysteria, idcirco miserator Dominus egreditur de domo sua, & sedes juxta hujus saeculi mare, ut congregentur ad eum multae turbae, & audiant in littore quae intus

S. Thm. Op. Tom. VIII.

(1) Al. operabatur.

non merebantur audire: unde sequitur: *Et congregatae sunt ad eum turbae multae, ita ut in naviculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in littore.* *Chryostomus* (hom. 45.) Hoc autem non simpliciter Evangelista posuit, sed ut monstraret quod Dominus hoc fecerit, volens cum diligentia hoc spectaculum statuere, ut nullum dimittat post dorsum, sed omnes coram facie habeat. *Hilarus* (can. 13. in Matth. in initio.) Sedisse autem Dominum in navi, & turbas foris stetitisse, ex subjectis rebus est ratio. In parabolis enim erat locuturus; & facti ipsius genere significat, eos qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis posse capere intelligentiam. Navis enim Ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum est, & praedicatum his qui extra sunt, & arenae modo steriles intelligere non possunt. *Hieronymus* (in initio Com. in 13. cap. Matth.) Jesus etiam in mediis fluctibus est: hinc inde mari tunditur; & in sua majestate securus appropinquare facit terrae naviculam suam, ut populus nequaquam periculum sustinens, non tentationibus circumdatus, quas ferre non poterat, sicut in littore fixo gradu, ut audiat quae dicuntur. *Rabbanus* (super illud, *Et congregatae sunt ad eum turbae*.) Vel quod ascendens navem sedebat in mari, significat quod Christus per fidem ascensus erat in mentes Gentilium, & Ecclesiam collecturus in mari, id est in medio nationum contradicentium. Turba vero quae stabat in lit-

I 3

to-

toræ, quæ neque in navi, neque in mari erat, gerit figuram recipientium verbum Dei, & jam fide à mari, idest à reprobis, separatorum, sed necdum mysteriis cælestibus imbutorum.

Sequitur: *Et locutus est eis multa in parabolis.* *Chrysofomus* (hom. 45. in Matth.) Quamvis in monte ita non fecerit: non enim per parabolas sermonem contexit. Tunc enim turbæ solæ erant, & plebs incomposita; hic autem & scribæ, & pharisæi. Non propter hoc autem solum in parabolis loquitur, sed ut manifestiorem sermonem faciat, & ampliolem memoriam imponat, & sub visum res reducat. *Hieronymus* (super *Et locutus est eis multa in parabolis.*) Est notandum, quod non omnia locutus sit eis in parabolis, sed multa: si enim dixisset cuncta in parabolis, absque emolumento populi recessissent. Perspicua miscet obscuris, ut per ea quæ intelligunt, provocentur ad eorum notitiam quæ non intelligunt. Turba etiam non unius sententiæ est, sed diversarum in singulis voluntatum: unde loquitur ad eam in multis parabolis, ut iuxta varias voluntates, diversas recipientes disciplinas. *Chrysofomus* (hom. 45.) Primam autem parabolam ponit eam quæ faciebat auditorem attentorem, quia enim sub ænigmate erat tractaturus, erigit mentes audientium per primam parabolam, dicens: *Ecce exiit qui seminavit seminare semen suum.* *Hieronymus* (super *Exiit qui seminavit.*) Significatur autem sator iste qui seminavit, esse Filius Dei, & Patris in populis seminare sermonem. *Chrysofomus* (hom. 45. in Matth.) Unde autem exiit qui ubique præfens est, vel qualiter exiit? Non loco, sed incarnatione propinquo factus nobis per habitum carnis: quia enim nos intrare non poteramus ad eum, peccatis nostris prohibentibus nobis ingressum, ipse ad nos egreditur. *Rabbanus.* Vel exiit cum, relicta Judæa, per Apostolos ad Gentes transivit. *Hieronymus* (ibidem.) Vel intus erat dum domi versabatur, & loquebatur discipulis sacramenta. Exiit ergo de domo sua, ut seminaret in turbis. *Chrysofomus* (ibid. post med.) Cum autem audieris, quoniam exiit qui seminavit, ut seminet, non æstimes esse identitatem sermonis. Egreditur enim multotiens qui seminavit & ad aliam rem, vel ut scindat terram, vel ut malas incidat herbas, vel ut spinas evellat, vel ut aliam talem quamdam diligentiam exhibeat: hic autem ad seminandum exiit. Quid igitur sit de semine isto? Tres depereant partes, & una salvatur; & hoc non æqualiter, sed cum differentia quadam: unde sequitur: *Et dum seminavit, quædam ceci-*

(1) Al. prodiderunt. (2) Al. omittitur quia. (3) P. Nicolai legit in differentiam. (4) Al. & si plus.

derunt secus viam. *Hieronymus* (super illud, *Quædam ceciderunt.*) Hanc parabolam ad probandam hæresim suam Valentinus assumpsit, tres introducens esse naturas: spirituales, naturalem, vel animalem, atque terrenam; cum hic quatuor sint, una juxta viam, alia petrosa, tertia plena spinis, quarta terra bona. *Chrysofomus* (hom. 45. à med.) Sed secundum hoc, qualiter haberet rationem inter spinas seminare, & super petram, & in via? In seminibus quidem, & terra materialibus non haberet utique rationem: non enim est in potestate petræ fieri terram, neque viæ non esse viam, neque spinæ non esse spinam. In animabus autem, & doctrinis multam habet hoc laudem: possibile enim est petram fieri terram pinguem, & viam non ultra conculcari, & spinas destrui. Quod igitur plus seminis perit, non est ab eo qui seminavit, sed à suscipiente terra, idest ab anima. Ipse enim qui seminavit, non divitem, non pauperem discernit, non sapientem, neque insipientem; sed omnibus loquebatur, quæ à seipso erant complens, prævidens tamen quæ futura erant, ut liceat ei dicere: Quid me oportuit facere, & non feci? Ideo autem non dicit manifeste, quoniam hæc susceperunt desides, & (1) perdididerunt; hæc autem divites, & suffocaverunt; hæc autem molles, & perdididerunt: (2) quia non voluit eos vehementer tangere, ut non (3) in differentiam mittat. Per hanc etiam parabolam discipulos erudit, (4) etsi plures audientium eos fuerint qui pereant, ut non propter hoc desides sint: quia nec propter hoc Dominus, qui omnia prævidit, desistit à seminando. *Hieronymus* (super *Exiit qui seminavit.*) Observa autem hanc esse primam parabolam, quæ cum interpretatione sua posita est: & cavendum est ubicumque Dominus exponit sermones suos, ne vel aliud, vel quid plus, vel minus præsumas intelligere, quam ab eo expositum est. *Rabbanus* (hoc loco.) Quæ vero tacita nostræ intelligentiæ dereliquit, perstringenda sunt breviter. Via est mens sædulo malorum cogitationum meatu trita, atque arefacta; petram, duritiam protervæ mentis; terram, levitatem animæ obediens; solem dicit fervorem persecutionis sævientis. Altitudo terræ est probitas animæ disciplinis cælestibus instituta. In qua expositione diximus, quia nequaquam ipsæ res in una eademque significatione semper allegorice ponuntur. *Hieronymus* (super *Qui habet aures audiendi.*) Provocamus autem ad dictorum intelligentiam quotiens his sermonibus commoneatur qui sequuntur: *Qui habet aures audiendi, audiat.* *Remigius.* Aures audiendi sunt

aures mentis, scilicet intelligendi, & faciendi quæ iusta sunt.

(b) *Glossa.* (a) Intelligentes discipuli esse obscura quæ à Domino populo dicebantur, voluerunt Domino intimare ne parabolice loqueretur: unde dicitur: *Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?* *Chrysofomus* (hom. 46.) Ubi dignum est admirari discipulos, quare discere cupientes, sciunt quando interrogare oporteat: non enim coram omnibus hoc faciunt. Et hoc ostendit *Matthæus* cum dicit: *Et accedentes;* Marcus autem manifestius demonstrat dicens, quod singulariter accesserunt. *Hieronymus* (super *Et accedentes discipuli.*) Querendum est autem quomodo accedant tunc ad eum, cum Jesus in navi sedeat: nisi forte intelligatur, quod dudum cum ipso navem conscenderint, & ibi stantes super interpretatione parabolæ sciscitari sint. *Remigius.* Dicit ergo Evangelista, *Accedentes,* ut ostendat (1) quo sollicitati sunt: sive poterant accedere corpore, quamvis esset aliquod vel breve spatium inter eos. *Chrysofomus* (hom. 46.) Consideranda est autem & eorum rectitudo, qualiter multam pro aliis habent curam, & prius quæ aliorum sunt quærunt, & tunc quæ tunc ipsorum: non enim dixerunt, In parabolis loqueris nobis; sed *In parabolis loqueris illis.* Qui respondens ait illis: *Quia vobis datum est nosse mysterium Regni Cælorum.* *Remigius.* Vobis, inquam, qui mihi adheretis, & in me creditis. Mysterium autem Regni Cælorum appellat evangelicam doctrinam. *Illis autem,* scilicet qui foris sunt, & in eum credere nolunt, scribis scilicet, & pharisæis, & cæteris in infidelitate perseverantibus, non est datum. Accedamus ergo cum discipulis ad Dominum (2) puro corde, ut nobis evangelicam doctrinam interpretari dignetur, juxta illud (Deuter. 33.) „ Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ipsius.“ *Chrysofomus* (hom. 46. parum à princ.) Hoc autem dixit, non necessitatem inducens, neque fatum; sed monstrans quoniam illi quibus non est datum, causa sibi sunt univerforum malorum, & ostendere volens quoniam cognoscere divinam mysteria donum Dei est, & gratia desuper data. Non tamen propter hoc liberum arbitrium destruitur: & hoc ex his quæ sequuntur manifestum est: ut enim neque isti desperent, neque illi pigritentur, audientes quoniam eis datum est: demonstrat à nobis principium horum esse, cum subdit: *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit; qui autem non*

habet, & quod habet auferetur ab eo: ac si diceret: Cum aliquis desiderium habuerit, & studium, dabuntur ei universa quæ à Deo sunt; cum autem his vacuus fuerit, & quæ ad se pertinent non inerat, neque quæ à Deo sunt, ei dantur; sed & quod habet auferetur ab eo, non Deo auferente, sed se indignum faciente his quæ habet. Unde & nos si viderimus aliquem desidiose audientem, & exhortantes quod attendat, non ei persuaserimus, sileamus: quia si magis immorati fuerimus, intendet ei desidia. Studentem autem discere allucimus, & multa effundimus. Et bene dixit, secundum Evangelistam, *Quod videtur habere: neque enim habet ipsum quod habet.* *Remigius.* Qui etiam habet studium legendi, dabitur ei & facultas intelligendi; & qui non habet legendi studium, hoc quod per naturæ bonum videtur habere, auferetur ab eo. Vel qui habet caritatem, dabuntur ei cæteræ virtutes, & qui non habet, auferetur ab eo: quia absque caritate nullum bonum esse potest. *Hieronymus* (super *Qui enim habet, dabitur ei.*) Vel Apostolis in Christo credentibus conceditur; Judæis vero, qui non crediderunt in Filium Dei, etiam si quid per naturæ bonum possident, tollitur: neque enim possunt aliquid sapienter intelligere, quia sapientiæ non habent caput. *Hilarius* (can. 13. parum à princ.) Fidem etiam Judæi non habentes, legem quoque quam habuerant perdididerunt; & ideo perfectum fides evangelica habet donum: quia suscepta, novis fructibus ditat, repudiata vero etiam veteris substantiæ opes detrahit. *Chrysofomus* (hom. 46. in Matth. parum à princ.) Ut autem manifestius quod dixerat fiat, subdit: *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.* Et si quidem naturæ hæc excæcatio esset, aperire eorum oculos oportebat; quia vero voluntaria est hæc excæcatio, propter hoc non dixit simpliciter, Non vident, sed *Videntes non vident.* Viderunt enim demones exeuntes; & dixerunt (supra 12.) *In Beelzebub ejicit demonia.* Audiebant quod ad Deum omnes attrahebat; & dicitur (Joann. 9.) „ Non est hic homo à Deo.“ Quia ergo contraria his quæ videbant, & audiebant, enuntiabant, propter hoc ipsum videre, & audire eis auferitur: nihil enim proficiunt, sed in iudicium magis incidunt: unde & à principio non eis parabolice loquebatur, sed cum multa certitudine. Quia autem audita, & visa pervertunt, jam in parabolis loquitur. *Remigius.* Et notandum est, quia non

(1) P. Nicolai habet quod sciscitari sunt. (2) Al. deest puro. Ex edit. P. Nicol. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

solum quæ loquebatur, verum etiam quæ faciebat, parabola fuerunt, id est signa spirituum rerum: quod liquido ostendit cum dicit: *Ut videntes non videant*: verba namque videri non poterant, sed audiri. *Hieronymus* (super *Iaco in parabolis*.) Hæc de his loquitur qui fiant in litore, & dividuntur à Jesu, & sonitu fluctuum perserpente non audiunt (1) ad liquidum quæ dicuntur. *Chrysostomus* (hom. 46.) Deinde ut non dicerent, quoniam ut inimicus noster nobis detrahit, Prophetam inducit eadem (2) sententiam: unde sequitur: *Ut impleatur in eis Prophecia Esaiæ dicentis: Audiu audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non videbitis*; id est, *audiu audietis* verba, sed non intelligetis verborum arcana: *videntes videbitis*, carnem scilicet, & non videbitis; hoc est, non intelligetis divinitatem. *Chrysostomus* (ibidem.) Hoc autem dixit, (3) quia ipsi sibi abstulerunt videre, & audire, aures, & oculos sibi claudentes, & cor incrassantes. Non enim solum non audiebant, sed & graviter audiebant: unde sequitur: *Incrassatum est cor populi huius, & auribus graviter audierunt. Rabbanus* (hoc loco.) Incrassatum est enim cor Judæorum crassitudine malitiæ, & abundantia peccatorum graviter verba Domini audierunt, quia ingrati susceperunt. *Hieronymus* (super *Incrassatum est cor*.) Ac ne forte arbitremur crassitudinem cordis, & gravitatem aurium naturæ esse, non voluntatis; subjungit culpam arbitrii, & dicit: *Et oculos suos clausurunt.* *Chrysostomus* (hom. 46.) In hoc autem intentionem eorum nequitiam ostendit, & aversionem cum studio. Ut autem atrahat eos, subdit: *Et convertantur, & sanentur eos.* In quo demonstrat quia, si converterentur, sanarentur: sicut si aliquis diceret, Si rogatus essem, confestim donaturus eram, ostendit qualiter aliquis sibi reconcilietur; ita & hic cum dicit, *Ne quando convertantur, & sanentur eos*, demonstrat quoniam & converti possibile est, & penitentiam agentes salvari. *Augustinus* de Quæst. Evang. (a) (cap. 14.) Vel aliter. Oculos suos clausurunt, ne quando oculis videant; id est, ipsi causa fuerunt ut Deus eis oculos clauderet. Alius enim Evangelista dicit (Joan. 16.) „ Excæcavit oculos eorum.“ Sed utrum ut nunquam videant; an vero ne vel sic aliquando videant, cæcitate sua sibi displicentes, & se dolentes, & ex hoc humiliati, atque commoti ad confitendum peccata sua, & pie

(1) *Al. desit ad liquidum.* (2) *Al. sententiantem.* (3) *Al. quia sibi ipsis.* (4) *Al. omittitur* & induravit cor eorum. (5) *Al. & sanitate.* (6) *Al. desit eum.*

EX EDIT. P. NICOL. (a) Sive in lib. Qq. super Matthæum, vel ex Matthæo, quæst. 14. post alias Evang. Quæstiones hoc nomine inscriptas generatim, & comprehensas duobus libris.

tantum scelus dimissum esse gauderent: quoniam tanta eorum superbia tali humiliatione esset deicienda? Quod incongrue dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in actibus Apostolorum manifeste legerit. Non ergo abhorret quod ait Joannes: „ Propterea non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum, „ ut non videant:“ ab ea sententia qua intelligimus, ideo excæcatis ut converterentur; hoc est, ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias Domini, ut post ejus resurrectionem factiori penitentia respicerent: quia per obscuritatem sermonis excæcati, dicta Domini non intellexerunt; & ea non intelligebat, non in eum crederunt; non credendo, eum crucifixerunt; atque ita post resurrectionem miraculis, quæ in ejus nomine fiebant, exterriti, majoris criminis reatu compuncti sunt, & prostrati ad penitentiam; deinde accepta indulgentia ad obedientiam flagrantissima dilectione conversi: quibusdam autem non profuit illa cæcitas ad conversionem. *Remigius*. Et quantum ad hoc potest hæc sententia intelligi, ut in omnibus subauditum non; hoc modo: ne quando oculis videant, & ne quando auribus audiant, & ne quando corde intelligant, & ne quando convertantur, & sanentur eos. *Glossa* (a) Sic ergo oculi eorum qui vident, & nolunt credere, sunt miseri; vestri autem beati: unde sequitur: *Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestre, quia audiunt.* *Hieronymus* (super *Vestri autem beati oculi*.) Nisi autem supra legissemus auditores ad intelligentiam provocatos, Salvatore dicente: *Qui habet aures audiendi, audiat*; putarem nunc oculos, & aures, qui beatitudinem accipiunt, corporales intelligi. Sed mihi videntur oculi illi beati qui Christi posunt agnoscere sacramenta, & illa beate aures de quibus Esaias cap. 50. loquitur: „ Dominus apposuit „ mihi aures.“ *Glossa* (ordinaria.) Mens enim est, quia naturali vigori ad intelligendum aliquid dirigitur; aures, quia alio docente dicit. *Hilarius* (cap. 13. in Matth.) Vel apostolici temporis beatitudinem docet, quorum oculis, atque auribus contigit Dei salutare videre, & audire, Prophetis, atque iustis cupientibus videre, & audire in plenitudine temporum destinatum; unde sequitur: *Amen quippe dico vobis, quia multi Propheta, & iusti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.* *Hieronymus* (super *Amen dico vobis quia multi*.) Videtur autem huic loco illud esse con-

trarium quod alibi dicitur (Joan. 8.) „ Abrahã, hanc cupivisti videre: quem meum? vidisti, & „ gavistus es?“ *Rabbanus*. Esaias: quæque & Michæas: & multi alii Propheta viderunt gloriam Domini: qui etiam propterea videntes appellati sunt: *Hieronymus* (ibidem.) Non autem dixit, Propheta: & iusti, sed multi: inter multos enim potest fieri: alii viderunt, alii non viderunt: licet & in hoc periculis sit interpretatio, ut inter Sanctorum merita differentiam. quamlibet facere videamur, & scilicet quantum ad fidem de Christo habitam: ergo Abraham vidit in enigmate, non vidit in specie. Vos autem: impresentiarum tenetis, & habitis Dominum: vestrum & ad voluntatem in terrogatis, & convalescunt oculi. *Chrysostomus* (hom. 46. in Matth. a. omnis.) Hæc ergo quæ Apostoli viderunt, & audierunt; præstantiam suam dicit, miracula, vocem, & doctrinam. In hoc autem non solum malis, sed his quibus non fuerant eos præponit: etenim antiquis iustis beatiores eos dicit: quoniam non solum quæ Judæi non videbant, hi vident; sed & quæ iusti, & Propheta cupierunt videre, & non viderunt. Illi enim fide solum consideraverant; hi autem visa, & multo manifestius. Vides autem qualiter verus testamentum copulatur novum: non enim si Propheta alieni cuiusdam, & contrarii Dei servi fuissent, Christum cupierunt sentire. *Augustinus* (inquit) non minus mund

(c) *Glossa* (b) Dixerat superius, quia Judæis non est datum nosse Regnum Dei; sed Apostolis, & ideo concludit dicens: *Vos ergo audite parabolam seminantis*; quibus scilicet committuntur Cæli mysteria. *Augustinus* VIII. super Genesim ad litteram (cap. 4. sub initio.) Quod narravit Evangelista, factum est, Dominum scilicet talia locutum fuisse: ipsius autem Domini narratio parabola fuit; & quia nunquam exigitur ut etiam ad litteram facta monstrarentur quæ sermone profertur. *Glossa*. Unde parabolam exponens subdit: *Omnis qui audit verbum regni, id est prædicationem meam, quæ ad Regnum Cælorum adipsendum valet, & non intelligit.* Quomodo autem non intelligit, subjungit: *Venit enim malus, id est diabolus, & rapit quod seminatum est in corde ejus.* Omnis, inquam, qui talis est, hic est qui fecit viam seminatam est. Notandum est autem, quod seminatum diversis modis accipitur. Dicitur enim, & semen seminatum; & ager seminatus: quod utrumque hic invenitur. Ubi enim ait: *Rapit quod seminatum est*, de semine intelligendum est; ubi autem sequitur: *Deus viam*

*S. Thom. Oper. Tom. VIII.*  
K 3  
EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo. (b) Neque hoc est in Glossa ut modo extat, sed in Anselmo. (c) Hoc notatur in Glossa ut ex cap. 7. eam sit ex 4.

*Seminatus est*, non de semine, sed de loco seminis intelligendum est, id est homine, qui est quasi ager divini verbi semine seminatus. *Remigius*. His autem verbis exponit Dominus quid sit semen, verbum scilicet regni, id est evangelicæ doctrinæ. Sunt enim nonnulli qui verbum Dei nulla cordis devotione suscipiunt; & ideo semen verbi Dei quod in eorum cordibus seminatur, demones quasi semen vitæ tritice subigunt auferunt. Sequitur: *Qui autem est seminatus supra petram, hic verbum audit, &c.* Semen enim, seu verbum Dei, quod in petra, id est corde duro, & indomito seminatur, fructificari non potest; quia multa est ejus duritia, & parva cælesse desiderium: unde propter nimiam duritiam non habet in se radicem. *Hieronymus* (super Continuo scandalizatur). Attende autem quod dictum sit, Continuo scandalizatur. Est ergo aliqua distantia inter eam qui multis tribulationibus, poenisque compellitur Christum negare, & eam qui ad primam persecutionem statim scandalizatur, & corrui: de qua hic loquitur. Sequitur: *Qui autem seminatus est in spinis.* Mihi videtur & illud quod juxta litteram ad Adam dicitur (Gen. 3.) „In ter spinas, & tribulos panem tuum manducabis:“ hic significare mystice, quod quicumque sæculi se dederit voluptatibus, curisque istius mundi, panem cælestem, & cibum verum inter spinas comedit. *Rabbanus* (hoc in loco) Recte autem spinæ vocantur, quia cogitationum suarum punitionibus mentem lacerant, & quasi strangulando, spirituales virtutum fructus gignere non permittunt. *Hieronymus* (super Qui autem seminatus est in spinis.) Et eleganter adjunxit: *Fallacia divitiarum suffocat verbum:* blandæ enim sunt divitiæ, aliud agentes, aliud pollicentes. Lubrica est illarum possessio, dum huc illucque circumferuntur, & instabili gradu, vel habentes deserunt, vel non habentes rescidunt. Unde & Dominus divites asserit difficulter intrare in Regnum Cælorum, suffocantibus divitiis verbum Dei, & vigorem virtutum emollientibus. *Remigius*. Et sciendum, quia his tribus generibus terræ nequam comprehendantur omnes qui verbum Dei audire possunt, sed tamen ad salutem perdacere non valent. Excipiuntur Gentiles, qui nec audire meruerunt. Excipiuntur *Qui vero in terram bonam seminatus est.* Terra bona est fidelis conscientia electorum, sive mens sanctorum, quæ verbum Dei cum gaudio, & desiderio, & cordis devotione suscipit, & inter prospera, & adversa viriliter conservat,

(1) *Al.* ad futura. (2) *Al.* Et illa, aut etiam in ista. (3) *Al.* & non tam.

(4) *Al.* martyrum.

(1) & ad fructum perducit: unde sequitur *Et jacit fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tricesimum.* *Hieronymus* (super Qui vero in terram bonam.) Et notandum, quod sicut in terrâ mala tres fuere diversitates, scilicet secus viam, & petrosa, & spinosa loca; sic in terrâ bona tria diversitas est, centesimi, sexagesimi, & fructus tricesimi. (2) Et in illa autem, & in ista non mutatur substantia, sed voluntas; (3) & tam incredulorum, quam credentium corda sunt qui semen recipiunt: unde primo dixit: *Venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus:* & secundo, & tertio ait: *Hic est qui verbum audit.* In expositione quoque terræ bonæ: *Iste est qui audit verbum:* Primum ergo debemus audire, deinde intelligere, post intelligentiam fructus reddere doctrinarum, & facere vel centesimum fructum, vel sexagesimum, sive tricesimum. *Augustinus XXI.* de Civit. Dei (cap. 27.) Quidam putant hoc sic esse intelligendum quod sancti pro suorum diversitate meritum, alii tricenos homines liberent, alii sexagenos, alii centenos: quod in die judicii futurum suspicari solent, non post judicium. Qua opinione quidam cum videret homines impunitatem perverisime pollicentes, eo quod omnes isto modo ad liberationem pertinere posse videantur, respondit, bene potius esse videndum, ut inter eos quisque reperiat qui pro aliis intercessuri sunt liberandis: ne tam pauci sint, ut cito ad numerum suum venientes, multi remaneant qui erui jam de penis illorum intercessione non possint, & in eis inveniatur quisquis sibi spem fructus alieni temeritate vanissima pollicetur. *Remigius*. Tricesimum ergo fructum facit qui fidem Sanctæ Trinitatis docet; sexagesimum vero qui perfectionem bonorum operum commendat (senario enim numero omnis mundi ornatus completus est) centesimum autem fructum facit qui vitam æternam promittit: centenarius enim de lava transit ad dexteram: per lavam autem vita præsens designatur, per dexteram futura. Aliter semen verbi Dei tricesimum fructum facit, quando bonam cogitationem gignit, sexagesimum quando bonam locutionem, centesimum quando ad fructum boni operis perducit. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 10. & 11.) Vel aliter. Centesimus fructus est (4) martyrum propter sanctitatem vitæ, vel contemptum mortis: sexagenarius virginum propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis: solet enim otium concedi sexagenariis post militiam, vel post ac-

tionem publicas: tricesimus vero conjugatorum, quia hæc est ætas præstantium, & ipsi habent acriorem consuetudinem, ne libidinibus superentur. Vel aliter. Consigendum est cum amore temporalium bonorum, ut ratio vincat; aut etiam edonitus, subditisque esse (1) debet, ut cum surgere cœperit, facile respiciatur; aut ita extinctus ut se omnino nulla ex parte commoveat. Ex quo fit ut ipsam etiam mortem propter veritatem alii fortiter (2) spernent, alii æquanimiter, alii libenter: quæ tria genera fructus sunt terræ, tricesimi, & sexagesimi, & centesimi. In horum aliquo genere invenendus est tempore mortis suæ, si quis de hac vita recte cogitat emigrare. *Hieronymus* (super Qui vero in terram bonam.) Vel centesimus fructus virginibus, sexagesimus viduis, & continentibus, tricesimus (3) sancto matrimonio deputatur. *Idem* (in Apalogi pro libris adversus Jovinianum) (a) Nam ipsa digitorum conjunctio, & quasi molli se osculo complectens, & fœderans, maritum pingit, & conjugem. Sexaginta ad vi-duas, eo quod in angustia, & tribulatione sint positæ: unde & inferiori digito deprimitur; (4) quia quanto major est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus & præmium. Porro centesimus numerus à sinistra transit ad dexteram, & iisdem quidem digitis non eadem manu circulum faciens exprimit virginitatis coronam. (d) *Chrysostomus* (hom. 47.) In præcedenti parabola locutus est Dominus his qui verbum Dei non suscipiunt; hic autem de his qui suscipiunt corruptivum sermonem: etenim hoc est diabolicæ machinationis, veritati semper errorem inferere: unde dicitur: *Aliam parabolam proposuit illis dicens.* *Hieronymus* (super *Aliam parabolam*.) Proposuit autem aliam parabolam, quasi dives patrifamilias invitatos diversis reficiens cibus, ut unusquisque secundum naturam sui stomachi varia alimenta susceperet. Non autem dixit alteram, sed aliam: si enim proposuisset alteram, expectare tertiam non poteramus. Præmisit aliam, ut plures sequantur. Quæ autem sit parabola ostenditur cum subditur: *Simile factum est regnum cælorum.* *Remigius*. Regnum cælorum appellat ipsum Filium Dei: quod regnum simile dicitur esse homini qui seminavit bonum semen in agro suo. *Chrysostomus* (hom. 47. in Matth.) Deinde modum insidiarum diaboli ostendit, dicens: *Cum autem dormirent homines,*

*venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.* Demonstrat hic quod error post veritatem existit, quod & rerum exitus fœditur: etenim post Prophetas fuerunt pseudoprophetae, & post Apostolos pseudoapostoli, & post Christum Antichristus. Nisi enim diabolus viderit quid imitetur, vel quibus insidietur, non tentat. Quia igitur vidit quæd hæc reddidit in fructu centum, ille sexaginta, alius triginta, & non poterat sapere, (5) & suffocare quod radicatum erat; per aliam deceptionem insidiatur, interserens sua; multis ea similitudinibus colorans; ut facile surripiat his qui habiles sunt ad deceptionem. Propter hoc non dicit, quod seminat aliquid aliud semen, sed zizania, quæ secundum visum assimilatur quodammodo frumento. Hinc etiam apparet diaboli malignitas: tunc enim seminavit quando universa erant completa, ut magis noceret agricolæ studio. *Augustinus* de Quæst. Evang. (b) (cap. 11.) Dicit autem, *Cum dormirent homines:* quia cum negligentius agerent præpositi Ecclesiæ, aut dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus, & superseminavit eos quos malos filios Dominus interpretatur. Sed recte queritur utrum hæretici sint, aut male viventes catholici. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari qui unius communionis sunt. Veruntamen quoniam agrum ipsum non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est; bene intelliguntur hæretici, (6) qui in hoc mundo permiscunt bonis; ut illi qui in eadem fide mali sint, palea potius quam zizania deputentur: quia palea etiam fundamentum habet cum frumento, radicemque communem. Schismatici autem videntur spicis corruptis etiam similes; vel paleis aristarum fractis, vel scissis, & de segete abjectis. Nec tamen consequens est ut omnis hæreticus, vel schismaticus ab Ecclesia corporaliter separetur: multos enim portat Ecclesia, quia non ita defendunt salutariter sententiæ suæ, ut intentam multitudinem faciant: quod si fecerint: tunc pelluntur. Cum ergo diabolus alperis pravis erroribus, falsisque opinionibus superseminasset; hoc est, præcedente nomine Christi, hæreses superjecisset; magis ipse latuit, atque occultissimus factus est; hoc est enim: quod dicit, *Bi abiit:* quamquam in hac parabola Dominus, sicut in expositione coneluit, non quadam, sed omnia scandala,

(1) *Al.* omittitur debet. (2) *Al.* subeant. (3) *P. Nicolai* legit casto matrimonio deputatur. Sive aliter. Triginta refertur ad nuptias: nam ipsa &c. (4) *Al.* deest quia. (5) *Al.* neque. (6) *Al.* quia.

Ex edit. P. Nicolai. (a) Epist. l. ad Pammachium. (b) Sive ex Lib. Qq. super Matthæum, vel ex Matthæo quæst. 11.

& eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur. *Chrysoſtomus* (hom. 47.) Ex posterioribus autem diligenter hereticorum formam describit, dicens: *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.* In principio enim heretici obumbrant seipſos, cum autem multam acceperint libertatem, & sermone aliquis cum eis participaverit, tunc venenum effundunt. *Augustinus* de *Quaest. Evan.* (cap. 12.) Vel aliter. Cum homo spiritalis esse coeperit dijudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere: discernit enim quicquid audivit, aut legerit abhorre a regula veritatis: sed donec in eisdem perficiatur spiritalibus: potest eum movere quare sub nomine christiano tam multa hereticorum extiterit salutes: unde sequitur: *Accedentes autem servi patris familias dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Utrum autem ipsi sint servi quos postea messores appellat, an quia in expositione parabola messores dicit esse Angelos; nec (1) quisquam dicere facile ausus fuerit. Angelos nescisse quis zizania superfeminaverit: magis oportet intelligi, homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco signatos. Nec mirum si & bonum semen ipsi dicuntur: ex diversis enim significationibus una res diversas similitudines recipit, sicut & de seait, quod ipse sit janua, quod ipse sit pastor. *Remigius.* Accedunt autem ad Deum sine corpore, sed corde, & mentis desiderio: quo docente intelligunt, diaboli caliditate hoc esse factum: unde sequitur: *Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit.* *Hieronymus* (super *Qui seminat bonum semen.*) Diabolus propterea inimicus homo appellatur, (2) quia Deus esse desiit, & in 9. *Psal.* scriptum est de eo: „Exurge Domine, non confortetur homo.“ Quamobrem non dormiat qui Ecclesie prepositus est: ne per illius negligentiam inimicus homo superfeminet zizania, hoc est homo superfeminet zizania, hoc est hereticorum dogmata. *Chrysoſtomus* (homil. 47.) Inimicus autem vocatur propter jacturam quam infert hominibus: vexatio enim diaboli adversus nos est; principium autem vexationis factum est non ab inimicitia quae est ad nos, sed quae est ad Deum. *Augustinus* de *Quaest. Evan.* (cap. 12.) Cum autem servi Dei cognoverint, hanc excogitasse diabolum fraudem, cum contra tanti nominis auctorem nihil se valere sentiret: ut fallacias suas eodem nomine obtegeret; potest sibi subtrahi voluntas ut tales homines de rebus huma-*

(1) *Al.* quicumque. (2) *Al.* qui. (3) *Al.* de fine. (4) *Al.* substantia.

Ex. Edit. P. Nicol. (a) Aut, ut supra, ex Lib. Qq. Super Matthæum, seu ex Matthæo quaest. 12. & sic infra.

nis auferant, si aliquam temporis habeant facultatem; sed utrum facere debeant, justitiam Dei consulunt: unde sequitur: *Servi autem dixerunt: Vis imus? & colligimus ea?* *Chrysoſtomus* (ibid. super *Vis colligimus ea?*) Ubi intuentia est fervorum diligentia, & dilectio: etenim festinant zizania evellere; quod monstrat eorum de semine sollicitudinem: ad hoc enim solum respiciunt, non ut aliquis puniatur, sed ut seminata non pereant. Quid autem Dominus responderit subditur: *Et ait: Non: Hieronymus* (ubi supra.) Datur enim locus poenitentiae, & monemur, ne cito amputemus fratrem: quia fieri potest ut ille qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras respiciat; & defendere incipiat veritatem: unde subditur: *Ne forte colligentes, eradicetis simul & triticum.* *Augustinus* de *Quaest. Evan.* (cap. 12.) In quod eos patientissimos, & tranquillissimos reddit: hoc enim dicitur, quia boni dum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commixtione, sive ut per eos exercentur, sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, & invintetur ad melius. Aut forte simul eradicatur triticum, cum auferuntur zizania: quia multi primo zizania sunt; & postea triticum sunt qui nisi patienter, cum mali sint, tolerentur, ad laudabilem mutationem non perveniunt. Itaque si evulsi fuerint, simul eradicatur & triticum, quod futuri essent, si eis parceretur. Ideo dicit tales non esse auferendos de hac vita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod futuri sint; aut bonis obstit, quibus & invitis utiles sunt. Sed tunc opportune hoc fiet cum jam (3) in fine non restat vel tempus commutandae vitae, vel proficiendi ad veritatem ex occasione, atque comparatione alieni erroris: & ideo subdit: *Sinite utraque crescere usque ad messem,* id est usque ad iudicium. *Hieronymus* (super *Qui seminat.*) Videtur autem hoc esse contrarium illi precepto (1. *Corinth.* 5.) „Auferite malum de medio vestrum.“ Si enim prohibetur eradicatio, & usque ad messem tenenda est patientia; quomodo ejiciendi sunt quidam de medio nostrum? Sed inter triticum & zizania (quod nos appellamus lolium) quamdiu herba est, & nec dum calamus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo aut nulla, aut difficilis (4) distantia. Primo monet ergo Dominus, ne verbi quod ambiguum est, cito sententiam profertur; sed Deo iudici reservemus, ut cum dies iudicii venerit, ille non suspicionem criminis,

sed manifestum reatum de Sanctorum ceru ejiciat. *Augustinus* contra Epistolam Parmeniani (Lib. 3. cap. 2. circa med.) Cum enim quisque Christianorum intus in Ecclesia constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc (ubi periculum schismatis non timetur) cum dilectione non ad Ecclesiam, sed ad corrigendam. Quod si se non agnoverit, neque poenitendo correxerit, ipse foris exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesia communiione dirimetur: unde Dominus cum dixisset: *Sinite utraque crescere usque ad messem:* subjunxit causam, dicens: *Ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum:* ubi satis ostendit cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum stabilitate certa securitas manet; id est, quando ita injuste crimen notum est, & omnibus execrabile apparet ut vel nullus profusus, vel non tales habeat defensores: per quos possit schisma contingere; non dormiat severitas disciplinae, in qua tanto est efficacior emendatio pravitate, quanto diligentior fuerit observatio caritatis. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud boni restat quam dolor, & gemitus. Sic igitur misericorditer corripit homo quod potest; quod autem non potest, patienter ferat, & ex dilectione gemat, atque luceat, donec ille desuper emendet, & corrigat, si eius usque ad messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare. Turba autem iniquorum, cum facultas est in populis promendi sermonem, generali objurgatione ferienda est; & maxime si occasionem, atque opportunitatem praebuerit aliquod Domini desuper flagellum, quo eos appareat pro suis meritis vapulare: tunc enim aures humiles praebet (1) emendantis sermoni calamitas auditorum, & facilius in gemitum confitendi, quam in murmura resistendi afflictia corda compellit: quamquam etsi nulla calamitas tribulationis premat, cum facultas detur, utiliter corripitur in multitudine multitudo, nam sicut separata se vivere, sic in ipsa congregatione objurgata gemere consuevit. *Chrysoſtomus* (homil. 47. ante med.) Hoc autem dixit Dominus prohibens occisiones fieri: neque enim oportet interficere haereticum: quia praelium inexpugnabile in orbe terrarum induceretur: & ideo dicit: *Ne eradicetis simul cum eis frumentum;* id est, si moveritis arma, & occideritis haereticos, necesse est multos sanctorum simul submitri. Non ergo detinere haereticos, & abscondere liberam eorum propagationem, & synodos, & studia dissolvere prohibet, sed interficere, & occidere. *Augustinus* ad Vincentium (epist. 48. circa S. Thom. Oper. Tom. VIII.

med.) Hac autem primitus mea sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum: verbo enim agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus quos apertos haereticos noveramus. Sed haec opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: harum enim legum terror quibus promulgandis Reges ferunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: Jam hoc volebamus; sed Deo gratias, qui nobis occasionem praebuit, & dilationum morulas amputavit. Alii dicant: Hoc esse verum jam sciebamus; sed nescio qua consuetudine tenebamus: gratias Deo, qui vincula nostra dirupit. Alii dicant: Nesciebamus hoc esse veritatem, nec eam discere volebamus; sed ad eam cognoscendam metus fecit intentos: gratias Domino: qui negligentiam nostram stimulo terroris excusavit. Alii dicant: Nos falsis rumoribus terrebamus intrare, quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus; nec intraremus, nisi cogere: gratias Deo qui predicationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quam vana & inania de Ecclesia sua mendax fama jactaverit. Alii dicant: Putabamus quidem nihil interesse, ubi fidem Christi teneremus; sed gratias Domino, qui nos a divisione collegit, & hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur, ostendit. Serviant ergo Reges terrae Christo, leges edendo pro Christo. *Augustinus* ad Bonifacium Comitem (epist. 50. longe post med.) Quis autem vestrum velit non solum aliquem haereticorum perire, verum etiam aliquid perdere? Sed aliter non meruit habere pacem domus David, nisi Absalon filius ejus in bello quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus: quamvis magna cura mandaverit suis ut eum quantum possent vivum, salvumque servarent, & esset cui poenitenti paternus affectus ignosceret. Quid autem ei resistit nisi perditum flere, & sui regni pace acquisita, salvum maestitiam consolari? Sic ergo catholica mater Ecclesia, si aliorum perditione tam multos ceteros colligit, dolore materni cordis lenit, & sanat tantorum liberatione populorum. Ubi est autem quod isti clamare consueverunt, Liberum est credere, vel non credere? Cui vim Christi intulit? Quem coegit? Ecce habent Apostolum: agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem; prius ferientem, & postea consolantem. Mirum autem est quomodo ille qui poena corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent,

(1) *Al.* emendari sermonem calamitatis.

si pendii filii coegerunt alios, ut perirent?  
 Sequitur: *Et in tempore messis dicam mellioribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Remigius.* Messis autem appellatur tempus metendi; per mensem vero designatur dies iudicii, in quo separandi sunt boni à malis. *Chrysostomus* (hom. 47. in Matth. ante med.) Sed propter quid dicit, *Colligite primum zizania?* Ut non timeant boni, quasi simul cum zizaniis, tollatur frumentum. *Hieronymus* (super *Qui seminat semen bonum*). Quod autem dicit zizaniorum fasciculos igni, tradi, & triticum congregari in horrea; manifestum est, hæreticos quoque, & hypocritas gehennæ ignibus, concernendos; sanctos vero, qui apprehendunt triticum, horreis, id est cælestibus mansionibus, accipi. *Augustinus* de Quæst. Evang. (2) (cap. 12.). Quæsti autem potest cur non unum fascem, aut unum acervum zizaniorum fieri dixerit; nisi forte propter varietatem hæreticorum, non solum à tritico, sed etiam à seipsis discrepantium, ipsa uniuscujusque hæreses, in quibus sigillatim sua communione disjuncti sunt, nomine fasciculorum designavit; ut etiam tunc incipiant alligari ad comburendum, cum à catholica communione segregati, suas proprias quasi ecclesias habere coeperint, ut combustio eorum sit in fine sæculi, non alligatio fasciculorum. Sed si illa esset, non tam multi respiscendo, & in catholicam Ecclesiam remeando ab errore discederent. Quapropter alligatio fasciculorum in fine profutura est, ut non confusa, sed pro modo pervertitatis suæ uniuscujusque erroris pertinacia puniatur. *Rabbanus*. Et notandum quod ubi dicit, *Seminavit bonum semen*, notat bonam voluntatem, quæ in electis est; ubi vero dicit, *Inimicus venit*, &c. cautelam habendam intinere voluit; (1) quando autem crescentibus zizaniis quasi patienter, letens ait, *Inimicus homo hoc fecit*, patientiam nobis commendavit; ubi vero ait, *Ne serve colligentes zizania*, donavit nobis discretionis exemplum; quando autem subjungit, *Sinite utraque crescere usque ad messem*, commendavit longanimitatem; ad ultimum iustitiam, cum dicit, *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*.

(e) *Chrysostomus* (ubi supra.) Qui Dominus dixerat, quod de semine tres partes pereunt, & salvatur una; & in ipsa rursus quæ salvatur, multa efficitur iactura propter zizania quæ supereminantur; ne dicerent, Qui ergo erunt, & quanti fideles? consequenter hunc timorem aufert per parabolam synapsis: & ideo dicitur:

- (1) Al. de qua crescentibus zizaniis. (2) Al. Addit P. Nicolai idest omnia dogmata pravitatis. (3) Al. Phariseorum enim dogmata.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Ex Matthæo, ut supra.

*Aliam parabolam presensit eis, dicens: simile est regnum celorum grano synapsis. Hieronymus* (super *Simile est regnum celorum grano synapsis*). Regnum celorum prædicatio Evangelii est, & notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam, de qua dicitur ad Judeos (infra 21.) *Anseretur à vobis regnum Dei*. Hujusmodi ergo regnum celorum est simile grano synapsis. *Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. quæst. 12.) Granum namque synapsis ad fervorem fidei pertinet, vel eo quod dicatur venena expellere. (2)

Sequitur: *Quod accipiens homo seminavit in agro suo. Hieronymus*. Homo qui seminat in agro suo, à plerisque Salvator intelligitur, qui in animis credentium seminat; ab aliis ipse homo seminans in agro suo, id est in corde suo. Quis autem est iste qui seminat nisi sensus noster, & animus, qui suscipiens granum prædicationis, & fovens semenem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? Sequitur: *Quod minimum quidem est omnibus seminibus*. Prædicatio Evangelii minima est omnibus disciplinis: ad primam quidem doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Deum mortuum, & scandalum crucis prædicans. Confer hujusmodi doctrinam dogmatibus Philosophorum, & libris eorum, & splendori eloquentiæ, compositionique sermonum; & videbis quanto minus sit ceteris seminibus semen Evangelii. *Chrysostomus* (hom. 47. in Matth.) Vel minimum erit semen Evangelii, quia discipuli universis erant imbecilliores; sed tamen quia magna erat virtus in eis, expansa est eorum prædicatio ubique terrarum: & ideo sequitur: *Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus*, id est dogmatibus. *Augustinus* de Quæst. Evan. (Lib. 1. quæst. 12.) Dogmata autem sunt placita seclorum, id est ut placuit sectis. *Hieronymus* (ubi supra.) Philosophorum (3) enim dogmata cum creverint, nihil mordax, nihil vitale demonstrant, totum flaccidum, marcidumque ebullit in olera, & in herbas, quæ cito arescunt, & corrumpunt. Prædicatio autem evangelica, quæ parva videbatur in principio, cum vel in animam credentis, vel in totum mundum facta fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arbore, ita ut volucres cæli (quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas sentire demus) veniant, & habitent in ramis ejus: unde sequitur: *Et fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus*. Ramos puto evangelicæ arboris, qui de grano synapsis creverunt, dogmata esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum

unaquæque requiescit. Assumamus & nos penas columbæ, ut ad altiora volitantes, possimus habitare in ramis hujus arboris, & nidosis nobis facere doctrinarum, terrenaque fugientes ad cælestia festinare. *Hilarius* (can. 13. in Matth. ante med.) Vel grano synapsis seipsum Dominus comparavit, acri semini, & omnium seminum minimo, cujus virtus pressuris accenditur. *Gregorius* 19. Moral. (cap. 1.) Ipse quidem est granum synapsis, qui in horto sepulturæ plantatus, arbor magna surrexit: granum namque fuit cum moretur, arbor cum resurgeret; granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam majestatis. *Hilarius* (ubi supra.) Granum igitur hoc postquam in agro seminatum fuit, id est ubi à populo comprehensus & traditus mortui, tanquam in agro fuit fatione quadam corporis conspuitus, ultra mensuram omnium olerum excrevit, & universam Prophetarum gloriam excedit. Oleris enim (1) vice tanquam ægroto Israel data est prædicatio Prophetarum; sed jam in ramis arboris cæli volucres inhabitant. Apostolus scilicet ex Christi virtute protensos, & mundum inumbrantes in ramis intelligimus, in quogentes in spem vitæ advolabant, & aurarum turbine, id est diaboli spiritu, flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris conquiescent. *Gregorius* 19. Moral. (cap. 1.) In istis etiam ramis volucres requiescunt: quia sanctæ animæ quæ quibusdam virtutum penis à terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis, atque consolationibus ad hujusmodi fatione vitæ respirant.

(f) *Chrysostomus* (hom. 47.) Ad idem ostendendum Dominus apponit parabolam de fermento: unde dicitur: *Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum celorum fermento*; quasi dicat: Sicut fermentum multam farinam transmutat in suam virtutem, ita & vos totum mundum transmutabitis. Et vide Christi prudentiam: ea enim quæ sunt naturæ inducit, demonstrans quoniam sicut illa possibile est fieri, ita & hoc. Non autem dixit, quod posuit simpliciter, sed *Abfcondit*; ac si diceret: Ita & vos cum subiecti fueritis impugnatoribus vestris, tunc eos superabitis. Et sicut fermentum suffoditur quidem, non autem destruitur, sed paulatim ad suum habitum omnia transmutat; sic & in prædicatione vestra contingit. Non itaque quia multas dixi superventuras vobis vexationes timeatis: ita enim fulgebitis, & omnes superabitis. Tria autem facta hic pro multis posuit: huc enim numerum determinatum pro multitudine indeterminata accepit. *Hieronymus*. Satum autem est genus mensuræ juxta morem provincie Palæstinæ, unum

modium, & dimidium accipiens. *Augustinus* de Quæst. Evan. (Lib. 1. quæst. 12.) Vel fermentum dicit dilectionem, eo quod fervescere facit, & excitat; mulierem, sapientiam dicit. In farina autem satis tribus intelliguntur vel tria illa in homine, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente; vel tria illa fructifera, centesimum, sexagesimum, & tricesimum; vel tria illa genera hominum Noë, Daniel, & Job. *Rabbanus*. Dicit autem: *Donec fermentum est totum*: quia caritas in nostra mente recondita eo usque crescere debet ut totam mentem in sui perfectionem commutat: quod hic (2) quidem inchoatur, in futuro vero perficitur. *Hieronymus* (super *Simile est regnum celorum fermento*). Vel aliter. Mulier ista, quæ fermentum accipit, & abscondit, prædicatio mihi videtur apostolica, vel Ecclesia de diversis gentibus congregata. Hæc tollit fermentum, intelligentiam scilicet Scripturarum, & abscondit illud in farinae satis tribus, ut spiritus, anima, & corpus in unum redacta, non discrepent inter se. Vel aliter. Legimus in Platone tria esse in anima, rationale, irascibile, & concupiscibile: & nos ergo si acceperimus fermentum evangelicum sacrum Scripturarum, in ratione possideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in desiderio cupiditatem virtutum: & hoc totum fiet per evangelicam doctrinam, quam nobis mater Ecclesia præstitit. Dicam & quorundam intelligentiam: mulierem istam & ipsi Ecclesiam interpretantur, quæ fidem hominis farinae satis tribus commiscuit, scilicet credulitati Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: cum in unum fuerit fermentata, non nos ad triplicem Deum, sed ad unius divinitatis perducit notitiam. Pius quidem sensus; sed nunquam parabola, & dubia ænigmatum intelligentia possunt ad auctoritatem dogmatum proficere. *Hilarius* (Can. 13. in Matth. circa medium.) (3) Vel aliter. Fermento se Dominus comparavit: fermentum enim de farina est, quod virtutem acceptam acervo sui generis reddit. Hoc autem fermentum acceptum mulier, synagoga scilicet, per iudicium mortis abscondit: hoc autem in farinae mensuris tribus, id est Legis, Prophetarum, Evangeliorum æqualitate coopertum, omnia unum fecit, ut quod lex constituit, Prophetæ nuntiaverunt, id ipsum Evangeliorum perfectionibus expleatur: quamquam ad trium gentium vocationem, ex Sem, Cham, & Japhet, tres mensuras farinae esse referendas sensisse multos memini. Sed nescio an hoc ita opinari ratio permittat; cum est omnium gentium vocatio fit, in his tamen Christus non abscondus sit,

sed

- (1) Al. vita. (2) Al. omittitur quidem. (3) Al. desideratur Vel aliter.